

inter se permutantium errores corrigere solemus, ad sanio-
rationem revocare conantur frustra laborant et plerumque nihil
aliud consequuntur quam ut errores erroribus cumulantes vete-
ribus coniecturarum monstris nova ipsi addant.

Accedit ad haec aliud quo harum tragoediarum emendatio
impeditur ac saepe incerta redditur. Nam etsi inter omnes con-
stat Sophoclem vocabula nova multa ipsum finxisse, quorum non
pauca grammatici veteres annotarunt, aliis inusitatas significa-
tiones tribuisse, et in sententiarum conformatione orationisque
structura ab communi usu loquendi non raro longius quam alios
multos discessisse, tamen non ubique liquet quousque in hoc
genere processerit et quid ipsi sit tribuendum, quid veteribus
harum fabularum interpolatoribus, qui ipsi quoque nova et mi-
rabilia multa procuderunt, imputandum: de quo critici et inter-
pretes tantopere et nunc inter se dissentiunt et in posterum
dissentient ut alii liberam fere quidvis audendi potestatem huic
poetae vindicent, alii tam severis eum legibus adstringant ut ne
ἐπαλλήλους χειῖρας quidem Eteoclis et Polynicis, quas *ἀλληλο-
φόνους* Aeschylus vocaverat, dici ab eo potuisse credant Anti-
gonae v. 57.

*αὐτοκτονοῦντε τὸ ταλαιπώρω μόρον
κοινὸν κατειργάσαντ' ἐπαλλήλοιν χεροῖν,*
licet hoc audaciae sit non maioris quam quod *διπλῆ χειρὶ* de
caede mutua dixit ibidem v. 13.

*δυοῖν ἀδελφοῖν ἐστερήθημεν δύο
μιᾶ θανόντοιν ἡμέρα διπλῆ χειρὶ.*

Ad apparatus criticum quod attinet, meminisse lectores
oportet unius nos uti fide codicis, litera L ab me designati,
olim Medicei, nunc Laurentiani (XXXII, 9.), scripti ab librario
valde imperito in membranis seculo undecimo: de quo pluribus
dixi in Praefationibus voluminum primi et octavi editionis Oxo-
niensis, ostendique quae in posteriorum temporum codicibus
rectius quam in Laurentiano scripta reperiantur non ultra ma-
nifestas procedere levissimorum vitiorum correctiones, quales in
omni scriptorum genere infimae aetatis librarii et grammatici
suoapte ingenio fecerunt. Contra quam sententiam qui fere solus
cum aliqua veri specie afferri poterat locus Philoctetae 220, ubi
in codice Laurentiano scriptum est, *τίνες ποτ' ἐς γῆν τήνδε*